

2.
D E O D U C E
M E D I T A T I O S. E V A N G E L I I
D O M I N I C Æ I I.

A D V E N T U S
Additis S. Patrum dictis, Quæstio-
numq; aliquot decisione, ad uberio-
rem textus, eum opus est,
explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M
In Regia Aboënsi Academia

P R E S I D E
DN. Æ S C H I L L O P E T R Æ O
S. S. Theol. Doct. Profess. & Civitatis ejusdem Pastore.

Examini subijcit, in Auditorio Majori, horis solitis
Ad diem Julij, 24. Anno 1649.

A X E L I U S J O N Æ O R R Æ U S
FINLAND.

(A) *Theophil. in Luc.*

Hinc manifestè patet de consumatione Christum loqui, supra enim dicebat Hierusalem ab exercitibus & gentibus cingendam & conculcandam. Hic autem toti orbi superventura dixit mala, & ita nunc de consumatione seculi loquitur.

(B) *Lutherus in post. Dem. 2. Adven.*

Hæc dies ultima, rectè appellari potest dies damnationis & redemptionis, dies tristitiæ & lætitiæ, dies inferni & regni Cælorum.

A B O Æ.

Excudebat Petrus Wald/ Acad. Typogr. Anno 1649.

C

Viris Reverendis, Doctissimis atq; Humanissimis

DN. MARTHINO TOMÆ,

Past. in Campis dignissimo.

Dn. ANDRÆ CHRISTOPH.

Past. in Hauho dexterimo.

Dn. ELIÆ NICOLAI,

pastori Neostadiæ Laudatissimo,

Dn. JONÆ MATTHIÆ,

Symiste in Nybyrdæ Consanguineo Colendissimo.

Dn. JOHANNI MATTHIÆ,

vice Past. in Sysmåli perindust.

Dn. ZACHARIÆ SIMONIS

Diacono in Nyby.

Dominiis Fautoribus, promotoribus, consanguineo &

amicis suis jugiter devenerandis, hanc meditationem

Sacram officiosè offert & dicat

AXELIUS LORRÆVS.

Respondens.



DOMINICA II.
ADVENTUS.

In Sanctæ & Summæ Laudandæ Trinitatis Patris, Filii
& Spiritus Sancti Nomine.

Cum populus Israeliticus transiret, & in terram
promissam Canaan tenderet, stabant sacerdotes in medio
Iordane portantes arcam domini, populus autem festinavit in
traseundo, Ios 4. v. 10. Hic modus transeundi fluvi-
um Iordanem & perveniendi in terram promissam, ty-
pus & imago quædam est transeundi hanc lacrymarum
vallem & in Cælestem patriam perveniendi, opus est no-
bis sacerdotibus portantibus arcam domini, hortantibus
& monentibus nos ut festinanter cautè & prudenter per
hunc mundum transeamus, ne securi simus & somno-
lenti, cum pericula undiquaq; immineant, sicuti aque
Iordanis imminebant Israelitis, eosq; circumdederunt, &
facili negotio obruere potuerunt, nisi divina potentia co-
hibitz fuissent. Nostrum est etiam sacerdotum nostro-
rum pias admonitiones exhortationesq; boni consulere,
eisq; parere & locum dare. Quod dum faciamus, non du-
bium est quin feliciter & sine animæ nostræ damno, in
terram promissam, in cælestem aulam, in æterna taber-
nacula perducamur. De his etiam in hodierno Evange-
lio hujus 2dæ dominicæ Adventus, admonemur.

Oremus autem deum, ut hodiernum Evangelium ita medi-
tari que amus, ut cedat in nomini divini gloriam, nobis in
augmentum & incrementum doctrinae & bonorum operum,
in spem & fiduciam & tandem in æternam beatitudinem. *Dis-
cimus igitur pater noster &c.*

EVANGEL. Luce. 21: v, 25. usq; ad 30.

Et erunt signa in sole & luna & stellis: Et in terris
auxietas gentium per desperationem, resonante
mari & fluctu. Extabescentibus hominibus pro timore
& expectatione eorum, qua supervenient orbi terra-
rum. Nam virtutes celorum movebuntur. Et
tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum
potestate & gloria magna. His autem fieri incipi-
entibus, suspicite & attolite capita vestra, quoniam
appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis simili-
tudinem, videte ficum & omnes arbores: Quum pro-
trudunt iam gemmas, cernentes ex vobis ipsis scitis,
quod iam instet aestas. Ita & vos cum videritis hæc
fieri, scitote quod instet regnum Dei. Amen dico vo-
bis, non præteribit ætas hæc, antequam omnia facta
fuerint. Cælum & terra transibunt, verba autem
mea non transibunt.

Christus indicat illa signa quæ extremum mundi diem
& iudicium præcedent, in terra, in hominibus, in mari,
in apparitione filij hominis in nubibus cum virtute ma-
gnaq; gloria. Consolatur Christus auditores hujus con-
cionis, jubetq; esse bono animo his incipientibus fieri,
attollere capita, aspiciere hæc signa, non secus ac aspiciunt
arbores vernantes & gemas producentes, unde dignoscitur
æstatis appropinquatio, eamq; cum gaudio expectent.
Hæc certo futura esse asseverat Christus consecrâ particula
Amen Amen dico vobis, haud quæquam præteribit hæc
generatio quousq; hæc stant, Cælum & terra transibunt, ver-
ba

ba autem mea non transibunt. Admonet eos ut caveant sibi, ne graventur corda eorum crapula & ebrietate & sollicitudine hujus vitæ, quandoquidem dies ille extremus repente superventurus sit, instar laquei super omnes terræ inhabitatores, vigilent omni tempore ut digni habeantur effugere omnia ventura, & valeant consistere coram filio hominis. Admonemur sexti præcepti, videlicet ut simus sobrii & vigilantes, fugiamus luxum & crapulam. Et præcepti septimi ut vitemus avaritiam. Confirmatur articulus secundus ubi credimus Christum venturum ad judicandum vivos & mortuos. Excitatur etiam ad orandum, Pater noster, adveniat regnum tuum; libera nos à malo.

PARTES.

1. *De horribiliu signorum ante extremum diem contingentium prædictione.*
2. *De illa necessaria informatione quomodo temporum extremorum difficultas sit superanda.*

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hac vice breviter & simpliciter tractare constituimus: *Omnipotens & aternus Deus Pater noster cælestis dilectissimus, nobis omnibus benedicat, cunctaq; utiliter & fructuose cedere faciat.*

PARS PRIMA.

In qua meditatur.

I. Occasionem prædictionis

signorum finis mundi: Occasio hæc indicatur ab Evangelista in verbis præcedentibus, quod discipuli Christi venerunt ad Christum cum hac quæstione, quæ nam si-

gna excidium Hierosolymitanū & mundi exitium antecellura sint? Hanc autem quæstionem ideo à discipulis propositam esse refert Lucas, quod Christus sederet ad gazophylacium templi, & dicerent quidam de templo, quod ex elegantibus lapidibus extructum esset, capit Christus prænunciare illis destructionē urbis & templi quod lapis supra lapidem nō relinqueretur qui non destrueretur. Interrogant eum discipuli dicentes, quando hæc erunt & quæ signa, cum hæc fieri incipiunt? Tum Christus primò præmonet ipsos, ut videant ne seducantur, multos enim venturos in nomine eius, dicentes quod essent Christi, ne illos sequerentur, neq; terrentur horribilibus illis signis destructionem præcedentibus. Signa destructionis mox enumerat: *Primo* Surget gens contra gentem, regnū adversus regnum, terræ motus magni erunt per loca plurima, & pestilentia & terrores. *Secundo*, Persecutiones discipulorum, quod conijciendi essent in carcerem & multa passuri, etiam interdum à parentibus, fratribus & cognatis propter nomen Christi, in quibus omnibus magna opus esset patientia. *Tertio*, Ultimum signum destructionis ponit, quod urbs esset obsidione cingenda, & hoc esse signum appropinquantis desolationis & plura signa nō esse expectanda, tum adesse diem afflictionis ejus, tum implenda quæ scripta erant, tunc non diu morandum esse in urbe vel judæa, sed fugiendum ad montes & alia loca, siquidem in diebus illis esset futura persecutio magna super terram, & in populo multi caderent in acie gladij, captivi deducerentur ad omnes gentes, & Hierusalem calcaretur à gentibus, donec implerentur tempora gentium. Postquam Christus in hac quæstione discipulis suis satisfacisset ad alteram quæstionem de signis finis mundi & extremi judicij re-

spondet

spondet, utramq; enim quaestionem discipuli Christi proposuerunt in monte Oliveti, tum quando haec praedicta eventura essent judaeis, tum quando finis mundi omnibus terrae in habitatoribus appropinquaret. (A)

L. C. Videmus domini dei nostri morem hunc fuisse a principio mundi, ut quando insolitum aliquod efficere vellet, semper signa aliqua notabilia praemisit. Cum voluit Aegyptios punire & Israelitas liberare, varia videbantur signa, quae in Exodo recensentur, quae omnia Aegyptijs impijs fuerunt terribila & damnosa, populo vero dei minime erant. Nam ranarum, locustarum, & similia Aegyptijs molestiam attulerunt, donec omnes tandem primogeniti una nocte perempti, & exercitus pharaonis cum rege ipso in mari rubro submersus est. Cum Deus ex omnibus populis ecclesiam colligere vellet, & Christus moriendo & resurgendo redemptionis opus consumaret, sepulchra aperiebantur, mortui prodibant & Hierosolymam veniebant, Eclipsis solis universalis accidebat, velum templi scindebatur, quae omnia significarunt abrogationem usitatorum rituum veteris testamenti, sicut eventus postea declaravit, cum judaeorum cultus evanuit, & Christus novum regnum constituit. Hic Dei gratia, quod hoc modo nos invitet ad poenitentiam depraedicanda.

II. Explicationem signorum.

Signa erunt in sole, inquit Christus, Eclipses solis & lunae. sol obscurabitur, luna privabitur suo lumine, sicut eclipsis contigit Christo in cruce pendente. Et quamvis tales eclipses juxta naturae cursum quoque fieri possint, per se sunt etiam nihilominus significare extremi diei appropinquationem, sicuti arcus caelestis sive iris, quamvis habere videatur naturales causas, tamen nihilominus est

etiam

etiam signum gratiæ, videlicet quod non amplius inter-
ibit mundus aquis diluyij. Signum in stellis futurum ait
Christus, hoc, stellæ cadent de cælo interram, ut Chri-
stus loquitur Matth. 24. Signum etiam interitus mundi
in aquis apparebit, inusitatis fluctibus & sonitu, audien-
tur equidem tales horribiles tempestates, quæ in mari &
majoribus aquis undas & fluctus concitabunt, unde ho-
minib; in locis maritimis, magna erit formido & timor.
Erit etiam in hominibus metus & tristitia, non solum ex
horribili aspectu cali, propter obscuraciones solis & lu-
næ, casusq; stellarum & sonituum maris, sed etiã propter
venturas mutationes, quas ex signis certò instare & iam
iam fieri cognoscunt, unde turbabuntur ut ægre vivi per-
sistant, uti Christus dicit, erit in terra pressura gentium,
hominibus præ timore & expectatione eorum quæ su-
pervenient universo orbi, arescentibus & extabescenti-
bus, quando & cæli ipsi quasi ruinam minitari videbun-
tur, nihil horum non vidit nostra ætas, sed adhuc horum
magna pars videbitur. Cura & pressura homi-
num non raro adest, magnus ventorum impetus & hor-
rendæ tempestates, bella & rumores bellorum. Hæc om-
nia sunt signa testantia non proculabesse diem domini,
Lutherus de signis sic scribit; credo inquit, quod quæ-
dam ac fortasse plurima tum accident, cum dies hæc re-
velabitur. Proinde id nobis satis sit quod Christus do-
cet ubi hæc signa animadvertenda & expectanda sint,
videlicet in cælo, in soleet luna & stellis, hominibus & ma-
ri. Quando quedam de illis conspiciuntur, non est ex-
pectandum, donec omnia evenerint, sed in tempore ac-
cingendum est, ut parati & veluti in procinctu adhuc
diem excipiendum simus. Quando Deus adventurus
erit in monte Sinai ad dandam legem, ipso die adventus,

hæcce signa præcedere fecit adventum suum, videlicet sonos fulgura, nubesq; densas, sonitumq; tubæ vehementem valdè, adeo ut trepidaret totus populus, qui erat in castris. Moses adduxit populum obviam Deo è castris suis, qui constitit ad imum illius montis. Mons autem Sinai fumabat totus, propter illud quod descendebat Deus in ipso igne, emittens fumum suum tanquam fumum fornacis, tremebat totus ille mons valdè, cumq; sonus ille tubæ pergeret & invalesceret valde, Moses loquebatur conquerens quod expavescit & terrebundus esset, uti Mosis sermo indicatur Heb. 12. Deus autem respondet voce, hoc est, placidis verbis Mosen confirmat & bono animo esse jubet Exod 19. qui legis promulgandæ processus, typus quidam esse videtur processus adventus Christi ad iudicium, in quo sententia ferenda est horribilis adversus omnes transgressores legis, qui Christum mediatorem & salvatorem contempserunt, & prorsus impij fuerunt, vel factis suis & operibus confisi sunt. Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & virtute. Hæc longè alia magnificentia est, quam Regis & mundani imperatoris triumphus: Nam ut Lutherus loquitur, tum ær erit plenus Angelis & sanctis, qui clarius lucebunt sole, & Christus medius inter ipsos feretur, & cum electis suis sententiam contra damnatos feret, qui infra in terra cum diabolo pavefcentes & tremefcentes stabunt. Visibilis enim in die novissimo apparebit Christus Salvator noster cum sanctis Angelis in gloria cælesti & ineffabili, qui iam Ecclesiæ suæ adest omnibus diebus invisibilis, usq; ad consumationem sæculi: Ut autem primus ille adventus (in forma quippe servi) fuit humilis, ita alter ipsius adventus erit gloriosus, veniet enim iudicare vivos & mortuos.

Quid ergo facient Christiani cum signa illa horribilia nunciant, in propinquo esse adventum Christi?

L. C. 1. Quia tam certa signa à Christo indicantur interitus & finis mundi, minime dubitandum est quin hic mundus finem habiturus sit, prout initium habuit: Blasphemi quidam dicunt non fore interitum mundi, mansurum prout est, non ullam futuram mutationem. Tales etiam tempore Divi Petri erant, in quos invehitur & minatur eis, quod extremus ille dies venturus sit tunc cum minimè putant 2. pet. 3. v. 3. Deridebant **Sedoniam** Lothum quod deflagrationem urbis prædicebat, sed experti sunt cum suo malo veritatem, uti patet Gen. 16. Noach diluvium prædixit, in quo perituri essent impij & impænitentes, in hujus rei gratiam arcam quodq; quasi signum a edificavit, admodum pauci tamen, hoc est, octo tantum animæ verbo Dei crediderunt, reliqui vero non, ideoq; nec prædictam inundationem cū illo evaserunt.

L. C. 2. Noverimus autem hæc prædicta esse. 1. Ut sciamus mundum non casu extitisse, sed conditū esse & regi à Deo ac conservari, eò usq; dum vult esse conservatum, nec fore æternum. Sicut enim cum terra esset repleta iniquitate, mundum priorem aquis diluvij perdidit, & Amorrhæos postea, cum ipsorum iniquitates completæ essent: Ita & postremo mundum igne perdet & delet Deus, ubi ejus iniquitas completa fuerit, 2. Ut pij interea in ærumnis hujus vitæ, & tota ecclesia habeant consolationem, has ærumnas non fore æternas, sed venturum liberatorem, qui nos ab omnibus malis sit liberaturus, & consolaturus æterna vita & gloria, sicuti hic dicitur: His fieri incipientibus suspicite & attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, quam consolationem & Paulus Rom 8, proponit cum inquit; Non
reputo

reputo esse pares afflictiones presentis temporis, ad gloriam quæ revelabitur erga nos. 3. Ut impij has prædictiones de venturo iudicio audientes, vocentur ad penitentiam, & ut totus mundus sese ad hoc universale iudicium præparet.

SECUNDA PARS.

In prima parte aspeximus quadam signa, in sole, luna & stellis, mari & hominibus, quæ mundi interitum prænunciant, & quod talia signa magnum marorem pressuram & angustiam allatura sint: In hac secunda parte, Christi Salvatoris informationem percipimus, quomodo se gerere debeant illi qui incident in tempora fini mundi vicina.

In qua meditamur.

I. Christi præceptum de at-

tollendis & elevandis capitibus. His incipientibus fieri inquit, suspicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. His verbis jubet Christus pios bono esse animo, non conturbari & animum despondere, non caput demittere sed sursum levare, quandoquidem non captivitas, non morbus, non paupertas, non condemnatio, sed redemptio ex omnibus malis appropinquat. Hæc signa & prodigia non portendunt quietam molestiam, periculi & damni, sed lætitiæ & liberationem ab omnibus malis, quibus in hoc mundo sumus oppressi & defatigati, quoniam liberatio ab omnibus molestijs iã præ manibus est. Qui itaq; sciunt se nūquā in

posterum talibus fieri obnoxios, qui sciunt hæc signa horribilia nihil aliud significare, illi merito gaudebunt visis talibus signis, potius quam illis tristabuntur. An non sic est, inquit Lutherus, si prædones te in castello captum teneant, atq; audias violentam castelli oppugnationem, adeo non sis hostilem hanc grassationem curatur, ut potius magnæ tibi voluptati omnia futura sint, si scias tua causa hæc arma sumpta esse, ut te à prædonibus eripiant: ita hic quoq; sentite, non vobis formidabile videri debere, cum mundus miserabiliter luctabitur, fade contorquebitur, nã hæc pœna non vestra causa, sed eorum de quibus vestræ querelæ fuerunt. Proinde hunc adventum sic accipite, ut vestræ redemptionis adventum. Non enim ea causa vult Christus dicere adveio, ut vos ad inferos condemnem, verum ut vos ex nequam, per verso & corruptissimo mundo liberem, ac vos à diabolo & ejus satellitibus segregem, atq; inter Angelos collocem, ubi non mala sustinere oporteat, sed æterna gloria perfrui liceat.

L. C. Christiani igitur, signis adventus Christi adeo terri non debent, ut potius inde magnam animi alacritatem concipiant, veniet enim Christus, liberaturus nos ab omnibus malis, & daturus nobis vitam æternam. Et si enim peccatores sumus, tamen, quia pœnitentiam agimus, & in Christum credimus, peccata nobis non imputantur, itaq; non est quod damnationem metuamus. Beati, (inquit psalmus) quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputabit dominus peccatum; nec est in spiritu eius dolus. (id est, qui non est hyprocrita) psal. 32. ille enim dies domini omnium piorum ærumnis finẽ & æterna gaudia adfert.

II. Similitudinem quam proponit

ponit Christus ab arboribus & præsertim à ficu sumptam, quæ ònium primo induit se floribus & gemmas producit. Quæ gemmæ nõ sunt signa venturæ & duraturæ hyemis, frigidis, breviorum dierum, sed æstatis, caloris & longiorum dierum, & proinde non sunt signa luctus, terro-
ris & formidinis, sed gaudij & lætitiæ. Lutherus hanc similitudinem sic explicat, in vere inquit, cum jam in exitu hyems est, & universa terra renovatur, cum gelu cedit, calor subit, torridæ arbores fronde nova virere incipiunt: Non alia ratio hisce rebus constituitur, quam dum arbores gemmas trudent, deinde folia pandunt, omnium tum hæc vox est, hyemem abiisse, pulcherimamq; æstatem appetere, duram hyemem abeuntem valere sinam, gratissimamq; æstatem advenientem amplectamur. In hac igitur similitudine de arboribus, nobis argumenta certa sunt, quomodo dies ultima expectanda sit. Nam sicut æstas statim ad folia sequitur: Ita quoq; cū terra movebitur, cæli contréiscant, sol & luna luctum & mæstitiam præ se ferent, non magis ista formidabilia vobis videantur, quam cum tenera folia de arboribus prorepunt, cum æstas inire incipit, signa enim vice foliorum nobis sint, & succus in arboribus, ut æternam æstatem cum gaudio expectetis. Hæc enim misera præsens vita, horrida & effetæ hyemi recte comparatur, in qua omnia exarescunt & pereunt. Sed tum suum finem fortientur, & æstas æterna succedet, hoc est, regnum Dei, per quod regnum diaboli destruetur. Vnde vobis in terra tanta mala sunt irrogata, quia vivitis inter avaros & malos, qui evangelium blasphemant & execrantur, mala omnis generis per se excitata vellent. Hoc vobis videndum & audiendum est, atq; indies ijs duriora expectanda sunt. Ab ijs vos per meum adventum liberabo,

ut porro eam injustitiam non intueri cogamini. B
L. C. Apparet quōdo animadverti, considerari & aspi-
ci vult Christus hæc signa, in cælo luna & stellis, videlicet
ut ficus & alias arbores gemmas protrudentes, & propte-
rea pios omnes bono oportere esse animo, quod illa non
quicquam mali portendunt, sed regnum Dei & æternam
salutem offerri innunt: Quia pijs talia signa non mali
quicquam portendunt, sed saltem liberationem ab om-
ni malo, à peccato & omnibus vitæ hujus angustijs, ab
æterna condemnatione, intelligit itaq; quilibet nostrum,
quantum lucrum est pietati operam dare. Hinc Aposto-
lus 1. Tim. 4. pietatem dicit habere præmium in hac &
in futura vita. Abijciam⁹ ergo impietatem, ambulem⁹ co-
ram Deo, is erit merces nostra magna Gen. 15. v. 1. Quia
in illo die cū primis apparebit pietas, quid possit & valeat,
videlicet ut in illa die non timeamus quamvis mare & flu-
ctus resonent, quamvis sol obscuretur, luna amittat
suum lumen, stellæ cadant, impij desperent, virtutes cæ-
lorum moveantur, cum apud nos sit Immanuel.

III. Christi admonitionem ad

fidē habedā sibi hortatur nos Salvator ut certo credā⁹ hæc
futura, nec dubitem⁹ quin certo futur⁹ sit mundi finis cū
hōines sunt adhuc in mundo, & quidē Iudæi quoq; corā
quibus hæc commemorantur, non enim omnes obdor-
mituri sunt, sed ut loquitur Apostolus, multi vivi inveni-
untur 1. The 4. credimus & etiam in symbolo Christū
venturum ad iudicandum vivos & mortuos.

L. C. 1. Iterum admonemur de certitudine adventus
eorum, quæ à Christo hic prædicta sunt, ergo cælum &
terra transibunt, omnino etiā talia signa precedent, qualia
Christus, prædixit. Quis enim non credat Christo hoc
asserenti

asserenti? si mox non advenerit, si non venit nostro tempore, non dicamus propterea cum non venturum. Hic ita vivamus ut quemlibet diem postremum arbitremur, hoc enim nihil nocebit.

L. C. 2. Tanta corpora, tantæ machinæ, perituræ sunt, cælum & terra, quid statuendum de nostris domicilijs, erit ne ijs aliqua aternitas speranda? Utiq; nulla. Ideo his nemo confidat, nam illa nos citius deserunt, cum per incendiurn in cineres & favillas abeunt, vel nos illa deserimus per mortem. Hinc enim omnes discessuri sumus, ergo solliciti de cælestibus mansionibus & tabernaculis simus?

IV. Christi adhortationem ad

vigilantiam & meditationem diei extremi. Potest fieri ut pii incidant in securitatem & non i a serio de hac die cogitent, ad quam oblivionem & securitatem plurimum faciunt crapula, ebrietas et sollicitudo hujus vitæ. Non enim parati sunt ad diem domini qui crapulæ & ebrietati & voluptatibus dediti sunt, & in huius vitæ curas ita sese immergunt, ut interim de vera resipiscencia non sunt solliciti. Colligi autem ex his verbis Christi potest, circa finem mundi, maximè homines deditos fore in temperantia, in cibo, potu, & in ijs, quæ ex largiore cibo & potu consequuntur, ut avaritiæ. Quæ sane vitia hodie in summo gradu conspiciuntur: cavete (inquit Christus) ne securitate carnali occupata sint corda vestra: Et superveniet in vos repentina illa dies, vobis eo tempore prorsus inexpectata. Tanquam laqueus enim (quo aves aut feræ capiuntur) subito supervenit omnibus, qui sedent (seu habitant) super faciem omnis terræ, dies illa omnibus viventibus, repentina. Vigilare itaq; omni

ni tempore (excute veterum, ne sint corda vestra in carnalem securitatem demersa) *Orate inquit Christus*, quasi dicat, aliquid est vigilare, cavere ebrietatem, securitatem & solitudinem hujus seculi, vigilandum est, cavenda est ebrietas, Sed id non sufficit, orandum etiam ut Deus suo Spiritu excitet corda nostra suggerat seriã meditationem venturorum, ne quia differtur vaticinij impletio, propterea dubitemus illud impletum iri, nec securi simus, Quod si vel adhuc diutius res differatur, sed quamdiu nos vixerimus rogabimus & orabimus, ut mala effugiamus, & valeamus consistere coram filio hominis, ne nos quasi fur in nocte dormientes inveniat.

L. C. Quia Christus jubet nos saltem credere certo mundi finem futurum, vigilare, orare, non vero id tempus quo finis mundi venturus est inquirere, sciamus non opus esse, ut curiosè, se rutemur quando, qua horã & die mundi finis futurus sit.

Te igitur aeternè pater Domini nostri Iesu Christi, toto peccatore oramus, ut nos filios lucis, Spiritu Sancto tuo ita reges & gubernes, ut conspectis horrendis signis præcedentibus adventum filij tui, iudicij vivorum & mortuorum, lati suspicere & attollere capita nostra, vigilantes, sobrii, immaculati & incontaminati esse, & stare ante filium tuum, Iesum Christum, Regnum tuum ab initio mundi nobis paratum possidere possimus. Qui cum filio & Spiritu Sancto tuo unus es Deus, in secula Amen

QUESTIONES.

AN sufficiat in genere, per signa præcessura scire adventum Christi ad iudicium? aff. nam si diem & articulum sciremus, nemo vigilaturus & sobrius esset futurus, nisi ad hunc temporis articulum, hoc ne fiat, non ostendit nobis diem & horam adventus sui, sed satis esse vult ostendisse, qualia illa novissima tempora; & qui status rerum futurus sit videlicet non alius quam temporum Noë & Lothi. Luc. 17.

2. Num reprehendat Christus, quod homines edunt, bibunt & ædificent. etc. Resp. non, sed harum rerum ab usum & securitatem, & contemptum Dei prædicentis penam, & hortantis ad penitentiam, Cor. 6. Gal. 5. Eph. 5. Col. 3.